

Evangelicæ monitionem; ita à fortiori dicimus idem de Denuntiatione Judiciali.

105 Resp. III. Denuntiatio verè Judicialis etiam ad hoc oculorum criminum, & quæ jam merè præterita, emendatæque existunt, ac quæ ex sua natura non nisi Delinquenti nocent, consequenter cuiusvis delicti absque præviâ monitione licite quoque fieri potest; dummodò probari valeat. Layman. lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 4. num. 13. & alii ab eodem ibidem, & supra à nobis num. 98. citati, Palao h. t. num. 104. Probatur Juribus & rationibus supra num. 88. & numer. 98. allatis, ea enim satis probare videntur, quod de his peccatis Denuntiatio Judicialis non tantum validè juxta dicta num. 98. sed etiam licite fieri possit, præsertim cum Jura, quæ ad esse licitum requirere videntur monitionem, etiam quoad consuetudinem sunt abrogata.

106 Quæritur VII. An etiam, & quando teneatur quis facere Denuntiationem judicalem? Resp. I. Delicta publica (prout publicum opponitur privato) id est in publicam perniciem, aut damnum Republicæ seu Communitatis vergentia, de quibus supra numer. 30. Item etiam delicta in damnum aut præjudicium alicujus tertii vergentia, teneatur quis etiam judicialiter denunciare, si Denuntiatio paterna seu Evangelica damnum sufficienter & certissimè impeditura, aut sublatura non videtur, Sanchez lib. 6. Consl. dub. 9. numer. 4. Sylvester ꝑ. Denuntiatio. quest. 1. Fachin. lib. 9. contr. cap. 86. cum communi aliorum, arg. Quisquis. 5. §. 1. ad quod. ff. ad Leg. Jul. Majest. l. Si forte de Pœnis. l. Nostris. 8. C. de Calumniator. cum Concordant. Ratio est; quia juxta communem Theologorum, quivis, si non ex justitia, saltem ex charitate teneatur malum Communitatis, aut proximi avertere, si potest. Hinc etiam, qui sciunt malum Communitati, aut proximo imminere, illudque non impediunt, dum possunt, rei sunt culpæ, arg. c. 4. de Furtis. cap. 47. de sent. excomm. l. 1. §. 18. de S. C. Silano, l. quisquis. 5. §. 1. ad quod. 6. Ad Leg. Jul. Majest. cum Concordant. & puniuntur, si non denuntiant hujusmodi delicta Communitati perniciosa, cit. l. Si forte de Pœnis, & l. 3. ff. ad Legem Pomp. de Parricid.

107 Dicitur autem notanter in Conclusione, si Denuntiatio paterna Evangelica damnum certissimè impeditura non videtur; per hanc enim, si certè impeditur potest damnum, potest quis eum, omisâ Denuntiatione Judiciali, adhibere, prout cum Communi bene docet Palao de Charit. Tr. 6. d. 3. pun. 13. num. 8. nisi specialiter expediat, ut delictum ad exemplum aliorum publice vindicetur, Layman. lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 4. num. 13. §. Dicosecundò. & alii. Ratio est; quia bonum commune sequens ex publica vindicta preferendum est particulari, arg. can. Sciatis. 39. cau. 7. q. 1.

108 Notandum tamen, quòd si perniciosum tale delictum sufficienter probari non valeat; ut si uni tantum præter Delinquentem constat, non teneatur illud stricte judicialiter, id est ad publicam vindictam, & cum obligatione, pœnas calumnie, deficienter probatione, incidendi, denuntiare; prout cum Communi aliorum docet Navarrus lib. 3. de Restit. cap. 2. numer. 378. Suarez de Charit. Disp. 8. sect. 6. num. 6. in fine. Durandus, Soto, & alii, arg. can. Hoc videtur. 8. cau. 22. qu. 5. & can. Erubescant. 11. dist. 32. Ratio patet ex dictis; quia de occultis fieri non potest verum Judicium, nec sumi publica vindicta, sed Judex & vindex Deus est: arg. cit. can. Erubescant, ibi: De manifestis loquimur; secretorum autem &

cognitor Deus & Judex est.

109 Resp. II. Quo non obstante teneatur quis tale Communitati, aut tertio perniciosum, etiam peritum occultum crimen Superiori denunciare ut Judicem, non principaliter ut punit, & publice vindicet, sed ut generaliter inquireat, vigilet, attendat, & omni meliori modo præcaveat, mediæque adhibeat, quantum possibile est, ut damnum Communitatis, aut etiam privati avertatur, vel impediat; licet dein per accidens hac viâ manifestus fiat, & publice puniatur Delinquens. Ita cum Communi docet Sylvester ꝑ. Corruptio. quest. 5. Sanchez lib. 3. de Matrim. Disp. 13. numer. 2. Lessius lib. 2. de Justit. cap. 30. dub. 2. numer. 13. & dub. 6. numer. 43. Palao loc. cit. pun. 13. num. 10. concilians DD. videlicet, quòd illi, qui dicunt, peccatum occultum, etiam in damnum Communitatis, aut tertii vergat, judicialiter denunciari non posse, intelligi debere de Denuntiatione stricte, & propriè Judiciali, principaliter intendente publicam vindictam ob bonum commune, non autem de denuntiatione minus propriè Judiciali, de qua in num. præsent.

Ratio est; quia juxta sæpè jam dicta quivis tenetur impedire damnum Communitatis, & proximi, si potest, per Jura citata; ergo si non potest id præstare per Denuntiationem Evangelicam, nec alio modo, teneatur omnino arripere Denuntiationem, num. præced. prescriptam. Et certè impium & iniquum videtur dicere, illum, qui solus scit Delinquentem intendere comburere Civitatem aut prodere, vel occidere proximum, aut in secrete talia patrare scelera, quæ in grave præjudicium Communitatis, aut tertii vergunt, non teneri id denunciare Superiori ut Judicem, si rationaliter judicat, per Denuntiationem Evangelicam malum non tolli aut impediri, ut bene arguuntur Palao loc. cit.

110 Confirmatur ex Declaratione Cardinalium, quam Palao loc. cit. allegat sequentis tenoris: Quando prudenter judicatur non posse adhiberi sufficienter remedium, quo bono communi, vel tertie persone videatur, nisi assumatur ea in re persona Judicialis, tunc tenebitur subditus ad Judicalem Denuntiationem faciendam Superiori: ubi nota, quòd Congregatio loquatur de delictis omnino occultis.

111 Ubi tamen monemus Superiorem, & subditum, hunc quidem, ut Superiori sincerè manifestet, se delictum probare non posse, proinde præcisè dicere, ut conscientie suæ satisfaciatur, damnum avertere intendens, proin à pœnis calumnie immunis esse velit: Superiorem verò, ut attendat, & circumstantias bene consideret, an non fiat injuria Denuntiato; vel si Denuntiationem veram judicat, ut ita cautè & prudenter procedat, ne reveletur, & inde patiatur Denuntians.

112 Resp. III. Si delictum etiam soli peccanti nocivum jam est notorium, aut saltem manifestum, vel famosum, ita ut illud major pars communitatis jam sciat, ignoret autem Superior; datur obligatio illud verè Judicialiter denunciandi, et si Delinquens jam emendavit se, & non amplius delinquere credatur, Sanchez lib. 6. Consl. cap. 2. dub. 5. Sylvester ꝑ. Denuntiatio. quest. 3. & alii, arg. can. Sed illud. 17. dist. 47. & can. Si peccaverit, cau. 2. quest. 1. Ratio est, quia, nisi denunciatur Judicialiter, graviter patitur Communitas, dum ceteri facilis peccant, videntes delicta manere impunita: scandalum autem & malum Communitatis quivis avertere teneatur, si potest, per dicta num. 106.

113 Dicitur notanter: ignoret autem Superior; hic enim

enim, si jam scit, teneatur ipsemet ex officio procedere, per dicta infra: Consequenter subditum ab obligatione immunis est; nisi forsan videat, Superiorem ex inordinato affectu, aut respectu singulari ignorantiam, aut nolle officio satisfacere, nisi Denuntiatione avertatur: tunc utique amore Communitatis, & ad avertenda scandala denuntiare oportebit, ut Judex ad inquirendum & procedendum adigatur: factâ enim Denuntiatione Judiciali teneatur Judex inquirere, ac procedere, juxta dicta infra.

114 Resp. IV. Etiam non notoria, & manifesta, nec famosa, sed aliquo modo adhuc occulta, solum peccanti nociva delicta potest & teneatur quis Judicialiter denunciare, si probari possunt, & spes probabilis non appareat, quòd alio modo emendetur Delinquens, aut si ob circumstantias, vel certas rationes expedit, ut Delinquens Judicialiter denunciatur, aut tale delictum forsan jam valde graffans ad terrorem aliorum publice puniatur. Patet Conclusio ex dictis supra numer. 88. & num. 105. Quibus accedit, quòd quivis ex charitate teneatur proximum liberare à gravi malo animæ, si potest; ergo si id fieri nequit alio modo, quam Judiciali, utique fieri oportebit. Nec refert, emendari pati bonum famæ ipsius, quia hoc tanquam minus postponendum est bono animæ; præsertim si ex publica delicti vindicta bonum, & utilitas communis speranda sit, arg. can. Sciatis. 39. cau. 7. q. 1.

115 Atque ex his inferatur, quàm sæpè teneantur subditi facere denuntiationem Judicalem, si non semper stricte, & propriè, saltem minus stricte, scilicet numer. 109 descriptam, præsertim in Religionibus, ubi sæpè quævis gravia alia ex natura sua, solum privata, v. g. fornicationes, & alia delicta carnis, censentur publica; id est, in publicam confusionem, diffamationem, aut præjudicium Religionis communitatis redundantia; quæ proin absque illâ monitione præviâ Judicialiter denunciari possunt ac debent, si probari possunt, juxta dicta numer. 106. imò, etiam probari nequeant per dicta numer. 107. & 108. si ita qualificata videntur, ut Denuntiatio, vel monitio Evangelica certò non profutura, sed id potius effectura credatur, quòd Delinquens malitiam suam imposterum magis abscondat, & cautius procedat, interea peccare, ac Religionem prostituere, aut periculo prostitutionis & confusionis exponere non desinat; quòd de malè habitutis, aut superbis, aut jam correctis, & non emendatis, aut aliis multoties timentum, & propterea contra illos solum per viam Denuntiationis Judicialis procedendum est, præcipuè in materia luxuriæ, utpote in qua delictum commissum, semper graviter præjudicat Communitati, si innotescat, ob quòd in Religione nostra fornicationes, adulteria, peccata nefanda, intra peccata publica, seu in publicam perniciem redundantia, consequenter absque omni monitione præviâ, Judicialiter denuncianda statuantur, etiam si occultè committantur; dummodò periculum sit (prout ordinariè est) quòd publicari possint, ut loquitur textus Processus Criminalis Tit. IX. ꝑ. Denuntiatio. §. 2. ubi peccata publica & privata ita enarrantur.

116 Privata delicta dicuntur, que privatam Denuntiantis, aut propriam Delinquentis perniciem concernunt, ut Gula, superbia, ira &c. Publica vero, que in publicam Religionis detrimentum vergunt, ut crimen lese Majestatis Divine, vel humanæ, ut hæresis, blasphemia, sortilegia, profanationes Sacrorum, conspirationes in Generale, qui est Princeps

Religionis, & in Provinciales, eorumque Commissarios, ac Superiores locales; eorumque vulnerationes, percussiones, homicidia, subornationes in electionibus, simonia, peccatum nefandum, fornicationes, adulteria, dummodo periculum sit, hæc tria (ultima) publicari posse, secus inter publica, & perniciosa numerari non debent. Et de his publicis etiam occultè commissis delictis expressè statuitur in Processu Criminali loc. cit. §. 1. Sic, In Judiciali Denuntiatione, si delicta sint publica & exceptuata, correctio charitativa non est necessaria.

117 Quæritur VIII. Qualiter in compendio, & per modum corollarii fieri possit, quando, & quomodo quis possit, aut debeat denunciare, vel excusetur à faciendâ Denuntiatione tam Evangelicâ, quam Judiciali? Resp. I. Quando delictum est penitus occultum in nullius quàm Delinquentis damnum vergens, & non nisi uni præter Delinquentem notum, excusatur quis à Denuntiatione illius tam Evangelicâ, quam Judiciali, si probabiliter credit, illud sua correctione seu monitione secretâ, vel etiam absque illâ emendandum, & non amplius committendum fore. Omnes. Ratio patet; quia in tali casu juxta dicta num. 62. non potest, ergo multò minus teneatur denunciare; diffamaret enim sine causa proximum.

118 Resp. II. Quando crimen penitus occultum vergit in præjudicium tertii, aut Communitatis, excusatur quis ab utraque Denuntiatione, si certè si non, seu moralis certitudo habetur; quòd Delinquens absque Denuntiatione se emendaturus, & Communitati, aut tertio, cui nocuit, plene satisfacturus sit. Palao de Charitat. Tr. 6. Disp. 3. pun. 4. allegans serè communem. Patet Conclusio: Nam in tali casu non teneatur ad Evangelicam Denuntiationem, quia hujus finis est emendatio, quæ ex supposito jam habetur, nec ad propriè Judicalem stricte talem, cum hæc fieri non possit, quando delictum probari nequit, juxta dicta numer. 103. Nec ad Judicalem minus propriam; quia hæc præcisè fieri deberet ad avertendum, vel relaxandum damnum, juxta dicta num. 109. quòd jam factum, vel aliâ viâ certissimè faciendum supponitur.

119 Dicitur tamen: Si certissima spes & moralis certitudo habetur; quia, quando hæc non adit, sed solum spes aut opinio probabilis habetur de avertendo, vel relaxando damno Communitatis, aut tertii, teneatur quis tale delictum de præsentî jam, vel in futurum præjudicium denunciare: Et quidem Denuntiatione Judiciali saltem minus stricte tali juxta dicta num. 109. nisi rursus certissima spes sit, damnum averti vel relaxari posse solâ Denuntiatione Evangelicâ.

120 Resp. III. Si delictum nondum quidem est notorium, sed tamen ita publicum, ut probari valeat, ut si duobus, aut tribus constat, potest quis, sed non teneatur illud Evangelicè, vel Judicialiter denunciare; si delictum soli Delinquenti nocet, & probabilis spes appareat, illud per solum monitionem secretam, aut absque illa fore emendandum, vel jam esse emendatum. Quòd possit denunciari, patet ex dictis num. 88. & num. 105. Quòd non teneatur, patebit ex statim dicendis. Idem est; si existente peccato pernicioso certitudo moralis habetur emendationis, & satisfactiois juxta dicta supra, nullumque periculum sit, tale delictum fore divulgandum; quòd non sit obligatio illud in tali casu denunciandi, ratio est; quia cessit finis obligans, emendatio nempe, & satisfactio, quæ utraque in hoc casu jam supponitur. Quòd autem possit etiam Judicialiter denunciari, patet ex dictis num. 88.







Ceterum quomodo probatio fieri possit ac debeat? quæ sit plena, quæ semiplena &c. copiose habes Lib. II. Tit. de Probat. Tit. de Confessis. Tit. de Testibus. Tit. de Fide Instrum. Tit. de Præsumpt. &c.

146 Queritur XI. Quid sit Denuntiatio Canonica? Et quid Denuntiatio Civilis? de quibus statim ad initium hujus §. numer. 59. Resp. I. Denuntiatio Canonica (sic dicta, quia à SS. Canonibus inventa) est & dicitur illa, quæ fit ad avertendum damnum spirituale Communitatis, aut persone private, v. g. ne indignus ordinetur, vel ad beneficium, vel Officium Ecclesiasticum promoveatur; vel ut indignus jam promotus amoveatur, ne plebi perniciosus existat, can. Metropolitanus, 44. cau. Sicut. 45. cau. 2. q. 7. Item ne matrimonium contrahatur cum impedimento dirimente, vel impediente, aut ut contractum dissolvatur, vel ne quid aliud illicitum fiat; nam de omni peccato mortali spectat ad Ecclesiam judicare, c. Novit, §. Licet autem de iudicis.

147 Ad Denuntiationem, Canonica, quæ fit, ne indignus eligatur, vel promoveatur, aut ut jam promotus iterum amoveatur, non quisvis, sed illi tantum tenentur, quorum interest, bonum habere Prælatum, Pastorem &c. Abbas in c. Novit, de iudicis, numer. 59. Ad illam verò, quæ fit ad impediendum matrimonium cum impedimento contrahendum, vel ad aliud peccatum impediendum tenetur quisvis, si absque magno incommodo suo potest, ut diximus lib. IV. §. 1. numer. 49. Et idè hæc generalis, utpote generaliter omnes obligans: illa verò specialis, quippe non nisi speciales concernens, dicitur.

148 Resp. II. Denuntiatio Civilis prout à Canonica distinguitur, est, quæ fit ab Officialibus, Ministris publicis ad hoc deputatis, ut crimen in Communitate scrutentur, & ad iudicium deferant; quatenus dein factâ Denuntiatione Iudices eadem inquisitionem instituere, & cognitiâ veritate Reos castigare, sicque bono consuetudine valeant, arg. l. Eâ quidem, 7. §. l. Singuli, 14. C. de Accusat. Quæ Denuntiatio sæpe etiam judicialis est, & ad eam reducitur, habetque illud speciale, quòd Iudex eâ factâ nullis à Denominatore nominatis testibus, nec solemnitatibus supra à numer. 94. præscriptis, statim inquirere possit per leges citatas; & Denuntiator ad nullas teneatur pœnas, Delator repertò innocente, Denunciato Civilis subinde etiam vocatur illa, quæ à privato fit non ad vindictam publicam, sed ad interesse proprium juxta dicta numer. 84. Verum de hac in præsentem non est Quæritio.

§. III.

De Inquisitionibus.

S U M M A R I U M.

- 149 Inquisitio quid?
150 Alia est Generalis.
151 Alia Specialis.
152 Alia Mixta, quæ etiam ad Generalem reducitur.
154 Generalis, & Specialis alia Paterna.
155 Alia Judicialis.
156 Inquisitio Generalis potest & debet subinde institui.
157 Et quoties? Remissive.
158 Potest institui absque precedenti infamia Inquisitio Generalis.

- 159 etiam Judicialis.
160 Solvuntur iura contraria.
161 Requiritur tamen ad eam saltem suspitio, vel præsumptio, vel indicia &c. de delictis.
162 Nemo potest condemnari sine Accusatore, vel aliquo supplente vicem ipsius.
163 Iudex si Inquisitionem Generalem Judicialiter instituere vult, debet prius monere interrogandos.
164 Inquisitio Mixta, seu Generalis dumtaxat respectu persone debet institui, si jam constat de delicto.
165 Probatur ratiõne.
166 Hæc inquisitio aperit viam ad Specialem.
167 Potest etiam institui, etsi certò non constet de delicto.
168 Et quomodo?
169 Inquisitio Mixta illa, quæ est Generalis respectu criminum, & Specialis respectu Delinquentium, pariter fieri potest.
170 Non autem judicialiter.
171 Inquisitio Specialis institui potest, vel ex mero Officio.
172 Vel ad instantiam partis.
173 Ex mero officio institui judicialiter nequit sine precedente infamia, vel sufficientibus indiciis vitii ab Inquirendo commissi.
174 Probatur ratiõne juris.
175 Potest tamen patere institui sine infamia.
176 Item etiam ad delationem publici Ministri ad hoc deputati: cuiusmodi apud nos sunt Lictores.
177 Ad præviam Denuntiationem judicialem potest institui Inquisitio Specialis absque precedenti infamia inquirendi.
178 Confirmatur I.
179 Confirmatur II.
180 Confirmatur III.
181 Confirmatur IV.
182 Solvuntur iura contraria.
183 Quæ est quid probarent, essent abrogata consuetudine.
184 Observantia practica.
185 Potest insuper fieri specialis Inquisitio absque precedente infamia, si adhibe sufficientia indicia commissi ab aliquo criminis.
186 Item si crimen est conjunctum cum illo, de quo prius est confessus, aut diffamatus Reus.
187 Item si Inquisitione Generali Judiciali aliquis in specie nominatur.
188 Dummodo prudenter, & consideratè fiat.
189 Item in delictis in damnum Communitatis, aut Tertii, ac aliis exceptis.
190 Ac tandem contra servos domus, in qua invenitur heres occisus.
191 Qualis debeas infamia esse, quæ prærequiritur, ad Inquisitionem Specialem?
192 Quamvis prærequiritur infamia, tamen non prærequiritur probatio infamiae; si Inquisitio fiat ex mero Officio.
193 Securitas tamen fit, ut probatio præmittatur.
194 Si Inquisitio fit ad instantiam partis, nec infamia, nec probatio ejusdem prærequiritur.
195 Nisi Denuntians ipsemet ad famam loco testium se remittat.
196 Rarissime, & vix unquam prærequiritur ad Inquisitionem Specialem probatio famæ.
197 Si absque fama, & probatione ejus fit specialis Inquisitio, casu quo fama & ejus probatio prærequiritur, valebit Processus, nisi Reus præsens reclamet.
198 De natura & probatione famæ, Remissive.
199 Superiores tenentur subinde ex iustitia instituere

inve Inquisitionem tam Generalem, quàm Specialem: & quando?

149 Queritur I. Quid, & quotuplex sit Inquisitio? Resp. I. Quando ly Inquisitio in Jure quandoque denotet cujuscumque rei investigationem, seu investigationem, arg. per Inquisitionem, 26. de Elec. §. c. fin. §. 1. de Offic. Delegat. Ad præsens tamen agitur de ea, prout significat investigationem in materia Criminali, & bene describitur dicendo: Inquisitio ut sit, est criminis, vel criminosis per iudicem legitime facta investigatio. Gonzalez in c. Inquisitionis, 21. h. t. num. 8. Patet ex terminis, dicitur criminis, vel criminosis, ut comprehendatur quævis inquisitio non solum Generalis, sed & specialis, per quam non tantum de crimine, sed etiam de criminoso in specie investigatio fit. Dicitur legitime facta, id est, juxta præscriptum Legum, & Canonum.

150 Resp. II. Inquisitio principaliter, ac potissimum dividitur in Generalem, & Specialem, cui addunt aliqui Mixtam. Inquisitio Generalis proprie talis, seu ut alii dicunt Generalissima, est, quando Iudex, vel Superior nulla expressâ personâ, vel delictò in specie, ex mero officio suo generatim indagat, & inquirit, an in provincia aliqua, vel loco, Diocesi, Civitate, Monasterio fiant, & facti sint aliqui delicti, an leges, & statuta serventur, vel fiat transgressio eorum &c. arg. c. 1. de Offic. Ordin. c. Grave, 29. de Præb. & Dignit. c. Sicut olim, 25. h. t. quam Inquisitionem ordinariè faciunt Episcopi, dum visitant Diocesi, Superiores Regulares, in visitatione Provinciarum, & Monasteriorum per Jura citata. Item Præsides, aut Magistratus seculares indagando, an crimina & legum transgressionem fiant in districtu sibi subdito, arg. l. Congruit, 12. ff. de Officio Præsidi.

151 Inquisitio Specialis proprie talis est; quando Iudex vel ex mero Officio, vel ad alicujus privati querelam seu Denuntiationem, vel ad Denuntiationem alicujus privati vel Officialis seu Ministri publici ad id destinati inquit, seu indagat de delicto aliquo in specie contra certam & determinatam personam: investigando v. g. an Titius commiserit homicidium, vel fornicationem, Fagnanus in c. qualiter il, 2. h. t. num. 62. Maranta de Ordin. Judic. part. 6. Tit. de Inquisit. num. 12. cum communi, arg. c. Cum dilecti, 18. §. c. qualiter, 24. h. t.

152 Inquisitio Mixta, prout à Generalissima, & proprie strictiore Generali distinguitur, est, quando Iudex aut Superior nulla determinatâ, vel expressâ personâ de certo aliquo crimine inquit indagando v. g. generaliter respectu personarum, quisnam earum hoc furtum, vel istud homicidium commiserit. Et hæc inquisitio ad Generalem reducitur, passimque Generalis, & merito dicitur. Vel econtrâ nullo expresso crimine, de certa persona indaget, an aliqua crimina commiserit, an Leges observet, aut violet, quomodo in officio suo se habeat &c.

153 Inquisitio præsertim Generalis ulterius ratione suis dividitur in Paternam, & Judicialem, Paterna est, quæ à Superiore instituitur non ad publicam vindictam, sed ad dignoscendam vitam & mores subditorum, eo fine, ut errantes & defectuosi paternè corrigantur & emendentur, præferantur convenientia media pro observatione Legum, vel disciplina Regularis: & ut boni ad gradus, & Officia pro bono communi evehantur &c. Qualis Inquisitio fit ordinariè à Superioribus Regularibus, dum etiam Canonice vi-

sificant Provincias, aut Monasteria, juxta dicenda infra.

Judicialis verò est, quæ instituitur à Superiore ut Iudice ad vindictam publicam, publicèque puniendos Delinquentes ad exemplum aliorum.

Queritur II. An, & quando à Superioribus institui possit vel debeat Inquisitio Generalis proprie talis, seu Generalissima? Et utrum ad eam prærequiratur infamia?

Resp. I. Inquisitio Generalis proprie talis non solum potest, sed ex officio suis temporibus etiam debet fieri, Unanimis ac certa, claris Iuribus tam Civili, quàm Canonico, c. 1. de Offic. Ordin. c. Romana, de Censib. in 6. c. In singulis, de Statu Monach. junctò Concilio Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 8. §. l. Congruit, 12. ff. de Offic. Præsidi. Ratio est; quia bonum commune talem Inquisitionem exigit, ut scilicet eâ mediante innovetur, an, & qualia crimina vigeant, an, & quanam existant malefactores, quatenus cognitò rerum statu, pro exigentia circumstantiarum, Superiores malis præcavere, delinquentes corrigere, & emendare, convenientia media ordinare, vel ulterius ad Inquisitionem specialem progredi valeant &c.

Quoties autem institui debeat Generalis (quæ ordinariè est paterna) partim patet ex dictis Lib. III. Tit. 39. numer. 65. partim ex §. sequenti, partim ex Tribunalium consuetudine, & statutis Municipalibus.

Resp. II. Memorata Inquisitio Generalis proprie talis, seu Generalissima etiam judicialis institui potest ex mero officio Iudicis, etsi nulla de delictis, vel delinquentibus præcedat infamia, nec alicujus urgat Denuntiatione, Maranta in Praxi judic. part. 6. Tit. de Inquisit. num. 29. Clarus §. fin. q. 6. num. 1. Farinae in Praxi Criminali, p. 1. l. 1. de Inquisit. Tit. q. 9. num. 18. Navaricus cap. 18. num. 38. Abbas in c. 1. de Offic. Ordin. Piching h. t. num. 50. cum Communi aliorum. Patetque clarè per Jura num. precedent. citata; utpote vi quorum non tantum possunt, sed jubentur etiam Superiores quandoque instituere Inquisitionem Generalem, nulla factâ mentione, de precedente infamia, aut Denuntiatione alicujus. Quibus accessit adhuc Concilium Tridentinum Sess. 7. cap. 8. §. Sess. 21. cap. 8. Confirmatur universali & quotidiana Praxi Tribunalium tam secularium, quàm Ecclesiasticorum, ac Regularium. Ratio est tum eadem, quæ in priori Conclusionè, Tum quia per talem Inquisitionem Generalem etiam nulla precedente infamia aut Denuntiatione factam nulli fit injuria, hoc ipso, quòd de nullo in specie investigetur.

Dicitur notanter in Conclusionè: etiam judicialis; quia quamvis Inquisitiones Generales præsertim apud Regulares, imò etiam apud Episcopos ordinariè non nisi paternè (Canonice tamen, & legitime) fiant ad emendationem, & non ad publicam vindictam, ut bene observat Ameno Tit. XI. §. Inquisitio, §. 1. numer. 8. Tamen etiam Judicialiter, & in publicam vindictam fieri possunt, prout cum Communi allegati docere videntur Doctores per Jura num. 151. & 156. allegata: Nam c. 1. de Offic. Ordin. expressè habetur: Habeant Episcopi singularium Urbium in suis Diocesium potestatem, adulteria, & scelera inquirere, ulcisci, & judicare, ubi in Inquisitione Generali etiam judiciali sermone esse, patet ex verbis ulcisci, & judicare. Et l. Congruit, 12. ff. de Offic. Præsidi. de Generali Inquisitione disponens vult, ut Præsides in sacrilegos, latrones &c. inquireant, & prout quisque deliquerit, in-



em animadvertere, receptoresque eorum coercere &c. debeant, ubi verba, prout quisque delinquerit, in eum animadvertere, satis indicant Inquisitionem Generalem Judicalem.

160 Nec obstant textus in Jure passim existentes, qui ad Inquisitionem expressè requirunt præcedentem infamiam. Resp. enim cum Communi, textus illos non loqui de Inquisitione Generali, sed de Speciali, vi cuius inquiritur contra delinquentem in specie, ut cum Ameno loc. cit. num. 8. bene observat Passerin. in Tribun. Regul. quest. 8. numer. 13. §. 14.

161 Qui ambo tamen etiam notant, quòd etsi verà non requiratur infamia, requiratur tamen aliqua suspicio, vel præsumptio, vel indicia aliqua, vel confusa relatio, alicubi fieri delicta, aut homines ibi non bene vivere si Inquisitionem Judicalem instituire vult. Ratio est: quia, cum Inquisitiones Generales ordinariè non nisi paternè fiant, sine omni causa, aut motivò prudenti, judicialiter instituire non debet Inquisitionem Generalem.

162 Accedit, quòd Inquisitio judicialis tendat ad publicam vindictam, & poenam, juxta dicta numer. 155. ad hanc autem nemo condemnari possit sine Accusatore, c. un. Ut ecclesiastica beneficii sine dimittit. ibi: Cum nullus debeat damnari, & idem non possit esse Accusator & Judex. can. De monistia. 17. §. Sed sciendum, can. 2. q. 1. ibi: Nullus simul potest esse Accusator & Judex; ergo adesse quid debet vicem Accusatoris supplens, Denunciatio nempe, vel fama, vel saltem aliquid loco fame deserviens, præfata scilicet delictorum indicia, præsumptiones, suspensiones, multationes &c. ut favore possit textus, c. Qualiter. 24. h. t. Non tanquam idem sit Accusator & Judex, sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore Officii sui debitum exequatur.

163 Illud etiam notandum Superioribus, quòd si Inquisitionem Generalem Judicalem instituire, & per eam immediatè judicialiter procedere velit, id iis, quos examinant & interrogant, indicare debeant, ut sciant, quomodò respondere possint, & debeant; cum non una & eadem sit potestas, nec obligatio respondendi, seu detegendi delinquentium crimina in Inquisitione judiciali, & paternà, juxta dicenda infra.

164 Queritur III. An, & quando institui possit, aut debeat Inquisitio Mixta, seu Generalis secundum quid explicata numer. 153. ? Resp. I. Inquisitio Mixta, seu Generalis duntaxat respectu personæ, quæ videlicet generatim & non in particulari de persona, an sit author, vel reus criminis, quod commissum esse jam constat; v. g. dum constat commissum esse homicidium, & investigatur tantum in genere, quis illud commiserit, non verò an Titius illud commiserit, non tantum potest, sed etiam debet institui, etsi nulla infamia, aut suspicio de certa persona existat, Clarus §. sui. quest. 5. numer. 5. Innocentius in c. Bona. il. 1. de Election. num. 5. cum communi, arg. l. 1. de Election. numer. 1. dicens ita servari in toto Mundo, Piching. h. t. numer. 54. Lessius lib. 2. de Iustit. & Jur. cap. 29. num. 14. cum Communi, arg. l. 1. §. Qui questionem. 21. ff. de Quest. ibi: Qui questionem habiturus est (per Inquisitionem præfata Generalem) non debet specialiter interrogare, an Titius homicidium fecerit, sed generaliter, quis id fecerit; alterum enim magis suggerentis, quam requerentis est.

165 Ratio est: Tum quia, nisi talis Inquisitio fieret, gravi cum detrimento boni communis scandalizarentur, & ad malefaciendum ulterius invitarentur.

tur tam delinquentes; quam reliqui videntes, judices non inquirere in Authorem criminis etiam notorii, consequenter imponere peccare posse. Tum quia per talem Inquisitionem Generalem respectu personæ nulli fit injuria, nullius fama læditur, hoc ipsò, quòd de nullo in particulari indagetur.

Aperit tamen præfata Inquisitio Mixta, seu Generalis respectu personæ, viam ad Inquisitionem specialem; quando videlicet in genere interrogati, an non sciant, qui crimen hoc fecerit, nominant Delinquentem in specie, aut produnt indicia, ac probabiles suspensiones, aut famam contra ipsum, prout loc. cit. bene observat Clarus num. 5. allegans Commune, Aret. in c. Cam oporteat. h. t. n. 44. Piching loc. cit.

Resp. II. Præfata Inquisitio Mixta de de. 167 lecto in specie potest Judex instituire, etiam si nondum certò constat nec fama extet, illud esse commissum: dummodò adsint præsumptiones, indicia, suspensiones &c. de illo, homicidii v. g. commissi. Patet Conclusio per jura & rationes supra à num. 158. usque ad num. 163. allegatas, utpote etiam hic militantes.

Notandum verò, quòd quando Judex de delicto in specie potest Judex instituire, etiam si nondum certò constat nec fama extet, illud esse commissum: dummodò adsint præsumptiones, indicia, suspensiones &c. de illo, homicidii v. g. commissi. Patet Conclusio per jura & rationes supra à num. 158. usque ad num. 163. allegatas, utpote etiam hic militantes.

Notandum verò, quòd quando Judex de delicto in specie potest Judex instituire, etiam si nondum certò constat nec fama extet, illud esse commissum: dummodò adsint præsumptiones, indicia, suspensiones &c. de illo, homicidii v. g. commissi. Patet Conclusio per jura & rationes supra à num. 158. usque ad num. 163. allegatas, utpote etiam hic militantes.

Resp. II. Inquisitio Mixta, seu Generalis duntaxat respectu criminum, quæ scilicet inquiritur contra personam in particulari, & de criminibus in genere: v. g. An Titius non sit reus alicujus, vel liquorum criminum? paternè quidem, non verò judicialiter fieri potest. Ludov. Ameno in Praxi Crimini. Tit. XI. §. Inquisitio. §. 2. num. 2. §. 12. cum aliis. Quòd paternè fieri queat, patet ex universalit. tam secularium, quam Ecclesiasticorum Superiorum praxi & consuetudine, quæ est optima Legum interpres L. 37. ff. de Legib. constat enim, quòd Episcopi, eorumque Visitatores in Dioecesis Visitatione, quam ordinariè non nisi paternè faciunt, de Parochiis, & aliis Clericis in specie inquirere, & indagare solent, quomodò se gerant, an leges & decreta observent, an verò transgressores earum existant? Item etiam Superiores Regulares & bene faciunt in suis Visitationibus, quas ordinariè quoque non judicialiter, sed paternè tantum, Canonicè tamen ac legitime instituant; dum Generalis, vel ejus Commissarii Visitatores de Provincialibus, & aliis Superioribus, Provinciales item de Guardianis & aliis in specie interrogant, quomodò in Regimine se habeant, an disciplinam & statuta observent, vel transgrediantur, &c. Quòd specialiter etiam conceditur in nostræ Religionis praxi Criminali Tit. XI. §. Inquisitio. §. 2. diciturque amplius §. sequenti. Seculares quoque Superiores dum Territoria suæ jurisdictionis ordinariè visitant, idem præcitant.

Quòd autem judicialiter id fieri nequeat, Ratio est; quia, ut bene advertit Ameno loc. cit. §. Inquisitio. §. 1. numer. 2. de delictis in genere, quæ in specie non exprimentur, & Superiori ut Judici proponuntur, nemo potest legitime accusari, denunciari, aut infamari ad hoc, ut Superior Judicialiter inquirere, & procedere valeat.

Queritur IV. Quandonam fieri possit, vel de.

debeat Inquisitio Specialis? Item an, & quando ad eam prærequiratur infamia? Ante responsum notandum, Inquisitionem specialem dupliciter fieri posse, videlicet, vel ex mero officio Judicis, vel ad instantiam alterius Accusantis vel Denuntiantis. Ex mero officio fit, quando nemine judicialiter instante, id est, nemine accusante, aut judicialiter denuntiante, exigentibus reum circumstantiis, & muneris sui ratione, vel obligatione, ex officio Judex eam instituit. Quòd etiam tunc facere consuevit, quando occasione Denuntiationis Charitativæ, aut Inquisitionis Generalis venit in notitiam Delinquentis in specie, & contra illum Inquisitionem specialem instituit; quia charitativè denuntiantes, aut in Generali Inquisitione respondentes non instant, ut Judex uteretur, & ad vindictam publicam judicialiter procedat; consequenter si occasione horum specialiter inquirat, ex mero officio agere dignoscitur.

172 Ad instantiam partis verò specialiter inquirat, quando Inquisitionem instituit præcedente Accusatione, vel Judiciali Denuntiatione alterius instantis, ut Judex Processum faciat, & publicè poenà pro vindicta publica Delinquentem ad aliorum exemplum afficiat. Quomvis enim etiam in inquisitione Speciali ad Denuntiationem Judicialem præviam facta, Judex ex officio inquirere dicatur, ut bene notat Clarus §. sui. q. 7. n. 1. tamen hoc ipso, quia Judicialiter Denuntians vindictam publicam intendit, & pro ea instat, jam non ex mero officio, sed ad instantiam partis agere, & inquirere consuevit Judex. Hoc notato.

173 Resp. I. Regulariter, seu ordinariè loquendo, nullus Judex, aut Superior ex mero officio instituire potest judicialiter Inquisitionem Specialem contra personam aliquam in specie de delicto, contra quam ratio talis delicti non præstet infamiam, aut sufficientia indicia delicti ab ea commisi. Clarus §. sui. quest. 6. num. 1. Fagnanus in c. Qualiter. il. 2. h. t. num. 46. cum communè & certa aliorum, arg. c. Cam oportet. 19. c. Inquisitioni. 21. c. Qualiter, & quando. 24. h. t. cum Concordantiis, ubi expresse est sermo de Inquisitione Speciali Judiciali in ordine ad publicam Depositionis poenam.

174 Ratio est: Tum quia Inquisitio Specialis est de genere prohibitorum, siquæ regulariter illicita, exceptis casibus in jure expressis, ut loquitur Villegot. lib. 3. Tit. de Inquisit. cap. 3. Siquidem sine Accusatore nemo ad condemnationem, arg. l. Rescripto ff. de Muner. & honor. juncto can. de Manifesta. 17. can. 2. quest. 1. ibi: Judicis non est, sine Accusatore, damnare; quia Dominus Judicem, tunc fur esset, sciebat; sed quia non accusatus minime objicit: atqui in Inquisitione Speciali ex mero officio assumptà, nullus adest Accusator; ergo debet adesse talis infamia, aut indicia vicem Accusatoris agentia, arg. c. Qualiter 24. h. t. ibi: Quasi denunciante fama, aut deferente clamore. Tum quia per talem Inquisitionem specialem sine prævia infamia institutum, graviter lætetur fama, & ultimum proximi. Acque idè & Dominus in veteri Testamento contra Sodomitas Genes. 18. & Evangelicus Paternitas contra Villicum Luc. 16. non nisi prævio clamore multiplicato suorum seclerum, seu diffamatione Inquisitionem instituit, prout bene notatur cit. c. qualiter 24. h. t.

175 Dicitur autem notanter in conclusione primò: Judicialiter, sive ad poenam sui vindictam publicam; si enim ad hanc, sed solum in ordine ad correctionem, vel ad salutem animæ consequenter

non judicialiter, sed tantum paternè fit, non solum potest, sed quandoque etiam ex officio debet saltem summariter, & absque strepitu fieri, etsi nulla præcedat infamia, Abbas in c. qualiter. 24. h. t. & ibi Fagnanus num. 45. Sylloger §. Inquisitio. q. 4. d. 3. Piching. h. t. n. 64. patetque clare ex Jure: sic enim talis Inquisitio etiam nullà præcedente infamia fieri jubetur, ne contrahatur Matrimonium cum impedimento dicimènte, c. fin. de clandest. Desponsat. similiter ne quis vitiosus, aut indignus eligatur ad Prælaturam, aut jam electus confirmetur, jubetur præmitti Inquisitio super vita; moribus, & idoneitate promovendi, c. Postquam, & c. Nihil de elect. cum Concordantiis. Idem fit, quando imminet periculum animarum, arg. c. Ad nostram. il. 2. de Jurisjur. vel quando ex debito officii id competit Judici, ut prius inquirat personam, si est agra ad tutelam. Onicito similia alia.

Dicitur secundo: ex mero Officio; quia potest Judex nullà præcedente infamia instituire Inquisitionem specialem ad præviam Denuntiationem Ministri, seu Officialis publici ad indaganda & denuncianda crimina ex officio Deputati, Felinus in c. Licet. 3. h. t. num. 3. Piching. h. t. numer. 31. Tufchus Litt. l. condus. 108. num. 32. Fagnanus in cit. c. qualiter. 45. arg. l. Divis Adrianus. 6. ff. de Castod. rerum, & l. Et quidem. 7. G. Accusat. ibi: Et quidem, qua per officium Præbendis denuntiantur contra solemnem accusationem posse perpendi incognitam non est. Et in hoc satis conveniunt DD. maxima autem inter illos controversa est; an etiam ad instantiam seu Denuntiationem privati instituire possit Inquisitionem Specialem sine præcedente infamia: pro qua controversia decidenda ponitur Conclusio sequens.

177 Resp. II. Quando ab aliquo etiam privato legitime sit Denunciatio verè judicialis, videlicet ad publicam vindictam Denuntiatio in exemplum, & terrorem aliorum pro bona communi imponenda, potest Judex Specialem Inquisitionem Judicalem instituire contra personam Denuntiatam, etsi nulla adhuc infamia præcesserit, Clarus lib. 5. §. sui. q. 7. num. 1. Lezana Tom. 1. cap. 27. num. 19. citans Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 12. numer. 35. Item Ludov. Ameno in praxi Criminali. Tit. IX. §. Denunciatio, §. 4. quest. 1. num. 24. Passerin. Tribunal. Regul. quest. 8. a. 4. numer. 17. Lugo de Justit. & Jur. Disp. 37. num. 64. & alii, contra non paucos alios. Probatur Conclusio; quia infamia in Inquisitione idè requiritur, ut suppleat vicem Accusatoris, juxta omnes, arg. c. qualiter. 24. h. t. atqui in Inquisitione facta ad præviam Denuntiationem Judicalem, ipse Denunciator agit vicem Accusatoris, ut bene advertit Lezana loc. cit. adeo, ut, licet se non inscribat, nec subeat poenas Talionis ut Accusator, tamen uti Accusator tenetur ad poenas calumnie, per dicenda Tit. seq.

178 Confirmatur primò: in Denuntiatione verè judiciali Denuntians denominat testes, vel suggerit alia sufficientia probationis media, juxta dicta supra num. 95. per quæ sufficienter jam consuevit diffamatus saltem apud judicem ille, qui fuit denunciatus, Ameno loc. cit. ergo non prærequiritur alia diffamatio.

179 Confirmatur secundo: Juxta dicenda infra num. 185. & communem DD. etiam Adversariorum Conclusionis, potest inticui Inquisitio Specialis contra aliquam personam absque præcedente illius infamia, quando adsint saltem indicia delicti ab ea commissi; atqui quando quis denunciatur judicialiter, non tantum indicia, sed etiam plene ordinariè afferuntur probationes; ergo etiam tunc non



non praequiratur diffamatio. Nam à minori ad majus bene valet argumentum, arg. Authen. Multo magis. C. de Sacrosancti. Eccles.

210 Confirmatur tertio. Non est major ratio cur Judex ad Denuntiationem Officialis publici statim & sine precedente infamia instituire possit Inquisitionem specialem contra personam denuntiatam, & non ad Denuntiationem judicalem alicujus privati viri (uti supponitur) probatae vitæ. Imò major videtur ratio pro hujus, quam illius Denuntiatione: tum quia in Denuntiatione Judiciali per privatum facta, sufficienter semper exhibentur veritatis argumenta, testes nempe, aut alia probationis media, juxta dicta num. 95. quod non semper, imò nec plerumque fit per officialem publicum: ergo si hæc sufficit, quòd Judex absque precedente infamia, aut Inquisitione illius possit instituire Inquisitionem specialem contra personam denuntiatam; etiam & quidem à fortiori sufficet illa. Præsertim quia etiam privatus Denuntians judicialiter in casu isto est persona jurata, utpote juramentum deponens per dicenda infra.

Nec dicas, de ista non autem illa haberi dispositionem juris supra num. 176. allegati. Respondetur enim: ubi eadem vel major est ratio, eadem est Legis dispositio.

181 Confirmatur insuper; quando occasione Inquisitionis Generalis testes generaliter interrogati deponunt contra personam in specie, potest Judex sine ulla precedente infamia specialem Inquisitionem instituire contra Denuntiatum; quia talis depositio aperit viam ad illam, juxta dicenda infra num. 187. A qui etiam Denuntiatum Judicialiter aperit viam ad specialem Inquisitionem, juxta dicta supra numer. 125. ergo etiam illa haberi potest sine infamia precedente Inquisitio Specialis fieri.

182 Nec obstant, quos Adversarii copiose allegant, & sequuntur, Canones, quibus absolute requiri videntur, quòd quævis Inquisitio Specialis, quæ non ad instantiam veri Accusatoris, sed ex officio Judicis etiam precedente Denuntiatione fit, præviam infamiam inquirende personæ requirat. Respondetur enim Canones volentes, quòd ad illam quoque Inquisitionem specialem, quæ Denuntiatione precedente ex officio instituitur, præquiratur infamia, non loqui de Denuntiatione verè Judiciali ad vindictam publicam tendente, sed de Evangelica seu fraterna, vel ad summum de Canonica, aut minis propriè Criminali; quia illi antiqui Canones Denuntiationem verè Judicalem non agnoverunt, utpote jure, consuetudine, & praxi novà primum introductam loco Accusationis, propterea ex eo liquet, quòd dicti canones ad quamvis Denuntiationem præquirant correctionem seu monitionem Evangelicam, c. qualiter Et quando. 24. §. penult. h. t. ibi: Sicut Accusationem legitima debet precedere inscriptio, sic Denuntiationem charitativa monitio, Et Inquisitionem clamorosa insinuatio prevenire; cum tamen ad Denuntiationem verè Judicalem nulla præquiratur monitio charitativa, per dicta supra §. præced. n. 98.

183 Quòd si contendas, Canones etiam de verè judiciali Denuntiatione loqui, & ad Inquisitionem ex illa quoque factam, præquirere infamiam. Respondetur dictis Canonibus quoad hoc jam esse derogatum consuetudine contraria, quæ licita & valida utique agnosci debet; tum quia ad Inquisitionem specialem infamia non Jure Divino, sed humano duntaxat requiritur, ut post Lessium lib. 2. cap. 29. n. 172. bene advertit Pithing h. t. numer. 63. ad finem, arg. cit. c. Qualiter

Et quando. 24. h. t. ubi clarè habetur, ex quibus Authoribus novi, & veteris Testamenti postea præcesserunt Canonice Sanctiones: Tum quia hæc consuetudo est pro bono communi ad coercendos malefactores, qui liberius procederent, si forent, contra illos judicialiter nec inquiri possent, nisi publice jam sint diffamati.

Et hæc doctrina ac declaratio Denuntiationis Judicialis, & paternæ; item Inquisitionis Judicialis, ac paternæ, atque distinctio inter illas bene observanda; hæc enim quia non observantur, sed Judicialem cum paternam confuderunt, nonnulli DD. summa cum difficultate & obscuritate de hæc materia scripserunt, & sibi necesse contradixerunt, aliqui verò nonnisi confusionem in intellectu, & tædium in animo legentis cavant, ac dissimilant intelliguntur.

Resp. III. Dantur insuper alii casus, in quibus ad faciendam Inquisitionem specialem nulla præquiratur infamia personæ inquirende; quapropter etiam in Conclusione I. numer. 173. postea notanter dictum est, regulariter, seu ordinariè loquendo; quia patitur illa Conclusio plures Limitationes, prout patet ex jam dictis à numer. 175. & patebit adhuc ex hac conclusione; quæ probatur inductione; & siquidem præter jam enumeratas à numer. 175. tres Limitationes, quòd Specialis Inquisitio fieri possit sine infamia precedente, primò nempe, si tantum sit paternæ? Secundo, si fiat ad relationem publici Ministri; Tertio, si fiat ad præviam Denuntiationem verè Judicalem à quocunque legitime factam; Ulterius etiam quoad, non requiritur prævia infamia, seu diffamatio, quando sufficientia contra Delinquentem adfuit indicia commissi ab eo criminis, Clarus lib. 5. §. fin. quest. 20. numer. 2. Marian. in c. Qualiter. 24. h. t. post numer. 108. Boss. Tit. de Inquisit. num. 8. Pithing h. t. num. 61. Farin. cum communi; hæc enim loco diffamationis succedunt, & plerumque fortiora sunt, quàm ipsa diffamatio. Nam ut habetur c. Cum in Inventure de Purgat. canon. Dicitur unus facile sequitur multitudo. Econtra de indicis l. Indicia certa 19. C. de Rei vindicta. ibi: Indicia certa, que jure non respiciuntur, non minorem probationis, quam instrumenta continent fidem. Nec requiritur, quòd indicia sint certa aut plena, sed sufficit, si sint etiam minora & levia, dummodò verosimilia, & probabilia, probabilem suspitionem generantia, ut cum aliis bene advertit Clarus loc. cit. quest. 20. num. 2. allegans Communem. Quæ autem, & quando sint talia indicia, judicis Judicis relinquuntur, juxta Clarum loc. cit. Ceterum quid sit indicium certum, seu plenum, quid grave, quid leve, &c. vide Lib. II. Tit. XXIII. de Præsumpt. à num. 9.

Quinto, fieri potest Inquisitio specialis sine diffamatione: si delictum, de quo est questio, plerumque solet esse connexum aut conjunctum cum illo, aut circumstantia illius, de quo Reus jam est confessus, aut convictus, aut saltem diffamatus, vel per indicia gravatus, Abbas in c. Qualiter. 17. h. t. num. 7. Sanchez lib. 6. cap. 3. dub. 21. & alii. Ratio est; quia connexorum idem est judicium. arg. l. Proinde. 32. ff. ad leg. Aquil. cum Concordantiis.

Sexto, quando constat de delicto, Delinquens autem ignoratur, & propterè Generalem Inquisitionem de Delinquentem instituenti, ac in genere interroganti judici, aliquis in specie pro Delinquentem nominatur: tali enim casu potest Judex specialem Inquisitionem instituire sine alia infamia, Clarus §. fin. quest. 5. citans Communem, & dicens, esse generalem totius Orbis consuetudinem.

§. III. De Inquisitionibus.

184 Ratio est: tum quia Generalis Inquisitio, in qua generatim interrogati aliquem in specie nominant, sine alia forma aperit viam ad specialem Inquisitionem, ut dicunt citati D. D. arg. c. Excommunicamus. §. Adjicimus, de Hæret. Tum quia, si in tali casu non liceret Judici specialiter inquirere de specificè nominatis, frustranea & sine effectu videretur Inquisitio Generalis. Hæc tamen intellige, de Inquisitione Speciali, quæ ex Generali Judiciali descendit. Nam si in Inquisitione generali paternam generatim interrogati Delinquentem in specie denominant, Superior seu Visitator ex solo hoc specialem Inquisitionem Judicialem contra ita nominatum instituire non potest; nisi aliud concurrat ex iis, de quibus infra §. VI. à numer. 304.

188 Interè aliud advertendum, quòd dum Superior in Generali Inquisitione five paternam, five Judiciali crimina de personis in specie inaudit, non præcipitanter agere, aut resolvere, nec illico credere, neque statim ad Inquisitionem specialem descendere debeat, nisi prius consideratis considerandis bene perpendat, an, & quales probationes, aut indicia adfint, aut haberi possint, ne sine effectu & fructu fama proximi, & ipsa Superioris auctoritas prostituatur; circa quod elegans extat textus can. 10. cau. 30. quest. 5. ibi: Mala audita nullum movent, nec possunt dici, absque certa probatione quæquam inquam credat; sed ante, audita diligenter inquirat, ne precipitando quæquam agat. Concordat l. fin. §. 6. C. de Modo mult.

189 Septimo, juxta Communem sine precedenti infamia fieri potest Inquisitio Specialis de delictis in damnum tertii, & à fortiori in damnum Reipublicæ, sicut etiam de criminibus aliis exceptis, Passerinus in Tribum. Regal. quest. 8. a. 7. Abbas in c. Licet. de Simonia, num. 1. cum Communi; dummodò aliqua saltem indicia adfint; quia ad inquirendum contra hæc crimina sufficiunt minora, ac leviora indicia, arg. l. quisquis. §. fin. ad Legem Jul. Majest. & l. 1. C. de Pœnis monetis.

190 Octavo fieri potest contra servos domus, in qua invenitur herus occisus, l. 1. prin. ff. ad S. C. Syllan. sicut & contra nautis navis, quæ submersa est, l. quoties. 3. C. de Navfrag.

191 Quæritur V. Qualis requiritur diffamatio ad Inquisitionem specialem? Item an, quando, & quomodo probari debeat? Resp. I. In casu, quo juxta dicta requiritur infamia, seu mala fama ad Inquisitionem specialem, non sufficit quævis, sed esse debet talis, ut 1. originem non habeat à malevolis, vel maledicis, sed honestis, & fide dignis personis. 2. Ut ad aures ipsius Superioris. 3. Et quidem ut sæpius perveniat. Ita clarè desumitur ex c. qualiter Et quando. 24. h. t. ibi: Si per clamorem Et famam ad aures Superioris pervenerit, non quidem à malevolis, Et maledicis, sed à providis, Et honestis, nec semel tantum, sed sæpi, quod clarior innuit, Et diffamatio manifestat. Ratio est; quia alias, si ex quolibet fama contra aliquem inquiri possent, nullus quantumvis honestus vir unquam securus esset à Speciali Inquisitione, & inde sequentibus præjudiciis; cum ex una parte vix ullus esset, contra quem malevoli, & improbi non male loquantur; ex altera verò parte dicitur unus facile sequatur multitudo, ut dicitur c. Cum in Inventure. de Purgat. Canon.

192 Resp. II. Quando Judex non facit Inquisitionem specialem ad instantiam partis accusantis, vel denuntiantis, sed ex mero officio juxta dicta, præquiratur quidem diffamatio, seu infamia personæ specialiter inquirende (nisi casus sit de exceptis juxta dicta à numer. 185.) tamen non re-

quiritur, ut probatio dictæ infamiae præcedat, seu ut Judex probationem illius prius faciat, sicque Processum Inquisitionis à probatione infamiae incipiat, sed sufficit, si eadem de illo constet, Fagnanus in c. qualiter. 24. h. t. num. 64. & ibi Abbas numer. 17. Pithing. h. t. numer. 74. post Glossam ibid. §. Ad acquirendum. contra communio-rem aliorum, quos tamen cum conclusione conciliat Fagnanus loc. cit. dicendo: aliud esse ad Inquisitionem specialem præquiri infamiam, aliud verò præquiri probationem ipsius. Primum omnes, ac etiam Conclusio concedit (exceptis casibus à numer. 185. positis) magis enim videtur exigi infamia, dum Judex procedit ex mero officio, quàm si ad instantiam partis, quia in illo, non item in isto modo infamia præquiritur, ut agat vires accusatoris seu partis, ut bene advertit Clarus §. fin. quest. 6. numer. 3. Alterum autem, videlicet, præquiri probationem famæ, negat conclusio, quod multi DD. non attingerunt, & idè etiam contrarii videntur.

Fatetur tamen Fagnanus loc. cit. post Joan. An. drem in cit. c. qualiter. 24. h. t. num. 36. Abbas numer. 17. & alios, quòd si Inquisitus appellaret, deberet Judex à quo coram Judice ad quem, facere plenam fidem de infamia; Quod cum absque præmissa probatione infamiae difficulter facit, utique consultum erit, ut in casu, quo sine prævia infamia ex mero officio nequit inquirere, probationem infamiae præmittat.

Resp. III. Quando Judex facit Inquisitionem specialem ad instantiam partis accusantis, vel Judicialiter denuntiantis, cum testium denominatione, aut alterius probationis suggestione, nullatenus præquiratur probatio infamiae. Hæc conclusio sequitur & probatur ex conclusione supra numer. 177. cum enim ibidem dictum, & probatum sit, in tali Inquisitione infamiam omnino non præquiri, sequitur, & à fortiori probatum manet, quòd neque requiratur probatio ejus. Ceterum militat contra communem DD. qui, quia tenent, quòd ad Inquisitionem ad instantiam alterius factam, præquiratur infamia, docent etiam, quòd ejusdem probatio præquiratur. Sed tendenda est conclusio nostra, præsertim quia teste Claro §. final. quest. 6. numer. 1. Et 4. universalis consuetudine & praxi Tribunalium confirmatur.

Dicitur autem notanter in conclusione cum testium denominatione &c. quia si pars instans id non facit, aut facere nequit, sed forsitan ipsemet ad famam se remittit, tunc utique Judex prius informationem & probationem de fama sumere debet, arg. c. qualiter. 24. h. t. nisi dilata Inquisitione Speciali velit assumere Inquisitionem generalem tentando, an non occasione illius eveniant indicia, vel tales circumstantiæ, vi quarum ad Inquisitionem specialem absque ulla infamia procedere possit, conformiter uti praxi num. 230. alleganda.

Interfertur ex dictis, rarissime, & vix unquam necessarium esse præviam probationem infamiae ad Inquisitionem specialem; cum enim sæpiè non requiritur, quando Judex procedit ex mero officio, nec si procedit ad instantiam partis testes denuntiantis, aut probationis media; alia autem Denunciatio Judicialis raro vel nunquam fiat, arg. can. Plerumque. 27. cau. 2. quest. 7. consequens est, eam vix unquam esse necessariam, ut proin merito credendum Claro. §. fin. quest. 6. num. 1. dicenti, se nunquam vidisse, fieri aliquem Processum, qui inciperet ab informatione, seu probatione infamiae.



24 infamia: & alibi dicentem, infamationem, seu potius probationem ejus recessisse ab Aula.
257 Ceterum quid sit fama, & in quo differat à Rumore, & quomodo probari possit, & debeat? vide Lib. II. Tit. XX. de Testib. & atest. §. XII. a. 385. vide etiam praxin nostram Criminalem Tit. XIV. y. Fama, & Infamia, ac ibid. Ludov. de Ameno.

258 Resp. IV. Si Judex etiam in casu, quo praequiritur infamia, & probatio illius, sine hac instituit Inquisitionem specialem, validus erit Processus, si Reus praesens non reclamet. Communis, & certa DD. textu claro c. 1. §. 2. b. t. in 6. Dicitur tamen notanter, si Reus non reclamet, vel excipiat; hoc enim si faceret in tali casu esset processus nullus, juxta Communem arg. c. Ad petitionem. h. t. §. c. 1. §. 2. b. t. in 6. a sensu contrario.

259 Queritur VI. An, & quando teneantur Superiores instituire Inquisitionem Criminalem? Resp. omnino, & quidem ex justitia teneantur subinde Superiores instituire Inquisitionem Criminalem seu Judicalem. Communis ac certa. Patet inductione: sic in primis, quando certò constat de gravi delicto, v. g. homicidio, adulterio, falsa moneta &c. & non constat de delinquente, tenetur Superior servatis Regulis prudentiae, in locis, & apud personas generaliter inquirere, ubi putat, noticiam haberi, aut indicia ad manus dari posse.

Secundò tenetur Specialem etiam Inquisitionem instituire, quando quis judicialiter denuntiatur, juxta dicta n. 125.

Tertiò tenetur etiam ex mero officio specialem instituire Inquisitionem, quando de aliquo jam extat communis fama vel jam est notorium, quod reus sit certi alicujus gravis delicti, & multò magis, si ipsum reum esse, manifestum, aut notorium est. Ratio est; quia si de notoriis, manifestis aut famosis delictis Superiores ut Judices Criminaliter non inquirerent, ad hoc, ut Judicialiter cognita publice punirentur, in exemplum aliorum, plurimi videntes de delictis etiam publicis non inquiri, nec curari, scandalizarentur, & liberius peccarent, cum ingenti Reipublicae utriusque, ac privatorum, praerjudicio & damno tam temporali, quam spiritali, ad quod avertendum Superiores ex officio utique tenentur.

§. IV.

De aliis requisitis ad Inquisitionem Specialem: praesertim de Corpore delicti, de Capitulis, & Articulis Reo communicandis: item de Ordine illius: ac nonnullis aliis huc facientibus.

S U M M A R I U M.

- 200 Ad specialem inquisitionem ulterius requiritur, ut à competente Judice.
201 Item, ut ante omnia constet de Corpore delicti. Et quid sit hoc?
202 Aliud est, & dicitur delictum Facti permanentis, aliud Facti transiens.
203 Aliud debet constare de Corpore delicti Facti permanentis: & quomodo?
204 Aliter de delicto Facti transiens, & quomodo?
205 Ad habendam noticiam de Corpore delicti transiens non requiritur, ut specialis & distincta in-situatur indagatio.

206 Nec de necessitate notitia Corporis delicti Facti transiens est, ut fiat ocularis inspectio.
207 Ad inquisitionem specialem insuper requiritur, ut fiat ideo praesentia.

208 Item ut Reo tradantur Capitula vel Articuli, una cum depositione & nominibus Testium, ac recipiantur ejusdem defensionum, & exceptiones.

209 Apud Regulares tamen nomina Testium ordinariè non communicantur: nec apud Saeculares, si inde Testis praerudicium timere haberet.

210 Requiritur adhuc, ut exprimaturs circumstantia delicti: & quomodo?

211 Ordo, quo fieri debet Inquisitio specialis.

212 Si aliquid ad Inquisitionem requisitum omittetur, & Reus reclamet, Processus est nullus.

213 Limitatur hoc in Processu Regularium.

214 Si autem non reclamet, valebit Processus.

215 Postquam Reus in iudicio crimen sine tortura est confessus, non amplius potest reclamare contra Processum; etsi hic inordinate formatus sit.

216 Nisi fieret Inquisitio nondum habita notitia de Corpore delicti.

217 Deductio practica consolatoria inordinatè procedentibus iudiciis.

218 Inquisitio specialis quales habet effectus respectu Inquisiti.

219 Inquisitio confessus, vel convictus de jure Canonico potest extraordinariè, de consuetudine autem ordinariè juris pena affici.

220 Quae consuetudo confirmatur utroque jure.

221 An Reus teneatur fateri veritatem? & an possit interrogari de Sociis criminis? Remissivè.

222 Reo, dum interrogatur, potest & debet imponi juramentum de dicenda veritate; praesertim in Ordine nostro.

223 Si deus falsò respondet, non incurrit poena perjurii in Foro externo: potest tamen propterea torqueri.

224 Licetum est, Reum blandis verbis, variisque modis & arte involvere ad fatendam veritatem.

225 Dimmodo semper absit mendacium & falsitas.

226 Qui tantum Evangelicè denuntiavit, potest in Processu esse Testis.

227 Sicut etiam Denuntians judicialiter ex Officio.

228 Non item alius voluntarius Denuntiator judicialis.

229 Bene verò Denuntiator necessarius, id est urgente & obligante conscientia Denuntians.

230 Deductio practica.

231 Socius criminis non potest esse Testis.

232 Limitatur hoc pluribus in casibus: Remissivè.

Queritur I. Quenam adhuc requirantur ad Inquisitionem Specialem Criminalem? Resp. praeter infamiam, & probationem ejus (quae juxta dicta num. 196. raro aut vix unquam requiritur) requiruntur adhuc alia duo. Patet inductione. Nam I. Requiritur, ut fiat à iudice competente, arg. Rubr. & text. C. si à non competente iudic. §. l. i. C. Ubi de Crimine agi oportet. Quis autem sit Index competens, vide Lib. II. Tit. II. praesertim §. 3. ubi agitur de modo sortiendi Forum ratione delicti. Defectu huius Requisite Inquisitio facta à iudice laico contra Clericum est ipso jure nulla, c. si à Clerico. 4. de Iudiciis. & c. Si diligenter. de Foro competent.

II. Debet ante Inquisitionem contra personam constare de corpore delicti, id est, debet constare, delictum, ratione cujus Inquisitio contra personam

sonam intenditur, esse reverà commissum ut, proin ante omnem aliam informationem teneatur Judex inquirere de Corpore delicti, seu facere constare, quòd delictum (de quo est questio) fuerit commissum: v. g. non potest Judex inquirere, quis occiderit, nisi prius constet, homicidium reverà esse commissum, juxta unanimitè DD. L. 1. §. Item 24. ff. ad S. C. Syllan. ibi: Item illud sciendum est, nisi constet aliquem esse occisum (item dic de aliis criminibus) non haberi de familia quaestionem &c. quòd adèò verum est, ut Processus sit ipso facto nullus, si ante omnem aliam inquisitionem prius legitime non constet de Corpore delicti; etiam si illud Reus in processu sponte sit confessus, quòd diversis verbis etiam habet nostra praxis Criminalis Tit. X. y. Corpus delicti §. 1. & ibi docet Ameno num. 2. Maranta de Ord. iudic. p. 6. nu. 17. & 18. Clarus §. fin. q. 4. num. 1. Passerinus in Tribun. Regul. q. 20. num. 2. & alii communiter asserentes, Corpus delicti, seu legitimum noticiam illius, esse fundamentum totius Processus Criminalis.

202 Notandum autem, aliter debere Judici constare de corpore delicti, seu commissio delicto Facti permanentis, aliter de commissio delicto facti transiens. Delictum Facti permanentis dicitur, quòd vestigia post se relinquit; cuiusmodi delictum est incendium, homicidium, vulneratio, falsificatio monetae, furtum cum effractione &c. Delictum Facti transiens est, quòd nullum post se vestigium relinquit, ut blasphemia, injuriae verbales, fornicatio &c. Clarus loc. cit. num. 4. Passerinus Tribun. Regul. q. 19. num. 4. & Criminalistae communiter.

203 Itaque de Corpore delicti Facti permanentis debet Judici certò ac liquido, per publicam inspectionem constare, ita, ut si vel publica fama, vel ad instantiam partis movetur ad faciendum Processum contra homicidam v. g. aut incendiarium, debeat ante omnem aliam informationem ispetem accedere, vel Notarium mittere ad cadaver occisi, aut ad aedes exultas, ibique in praesentia duorum testium oculariter inspicere, & videre, homicidium reverà esse commissum; aut incendium reverà esse factum &c. Clarus cit. §. fin. q. 4. num. 4. dicens ita tenere omnes: limitans tamen id in casu, quo etiam tale delictum esset occultatum, ut si cadaver occisi esset abscondita &c. tunc enim sufficeret, si de tali corpore delicti constaret per testes, qui homicidio interfuerunt, aut falsam monetam viderunt &c. vel per alias conjecturas, praesumptiones, vel indicia, Clarus loc. cit. Menochius lib. 1. de Praesump. §. 8. n. 2. cum communi.

204 De Corpore delicti, seu commissio delicto Facti transiens autem sufficit, quòd prius constet iudici per conjecturas, quae probent, delictum esse commissum, Clarus loc. cit. numero 3. Guazzin. Reor. defens. 4. cap. 2. num. 13. Farin. cum communi aliorum, quòd totum etiam praescribit praxis Criminalis Ordinis nostri Tit. X. y. Corpus delicti. Et licet circa dictam differentiam de corpore delicti, Facti permanentis & transiens clarus textus in iure non habeatur; tamen, quia est universalis consuetudo omnium tribunalium, inducit obligationem, ut bene observat Passerinus arg. §. constat autem. 4. §. 5. Sine scripto. 9. Inquit de Jure natur. ibi: Sine scripto jus venit, quòd usus approbavit; nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur.

Porro quando agitur causa de Corpore delicti transiens, & procedit Judex ad instantiam alterius, non est necesse, ut Judex prius distinctè

etiam Inquisitionem instituat de corpore delicti, & postea aliam de Reo; sed potest ita examinare testes, & capere informationes, quae unico contextu probent, delictum esse commissum, & quidem à tali delinquente, ut bene notat principalis Criminista Clarus §. fin. q. 9. num. 3. & expressè etiam habetur in nostra praxi Criminali loc. cit. §. 2. Debet tamen Judex inquirendo ita se gerere, ut prius constet, delictum esse commissum, quam quis deliquerit; quòd si autem testes situm ipsum delinquentem denominent, per accidens erit, nec Processum inficit, uti ibid. habetur.

Imò docet Ameno, & satis probat in praxi Criminali loc. cit. §. 1. n. 3. & 4. quòd, etsi obligatorium sit, & a iudicibus omnino observari debeat, ut, ibi fieri potest, de corpore delicti permanentis ante omnia hauriatur notitia per inspectionem ocularem, juxta dicta supra, tamen Processus adhuc valet, si omisa inspectione oculari alio modo hauriatur notitia de corpore delicti.

III. Debet esse praesens (Reus nempe) contra quem facienda est inquisitio, nisi consummaverit se absentaverit, prout expressè statuitur c. Qualiter. 24. h. t. & docent ibi DD. Advertit tamen Clarus §. fin. q. 11. n. 2. consuetudine introductum esse, quòd etiam contra absentem non citatum de delicto inquiratur.

IV. Debent Reo tradi Capitula, seu omne id, quòd super quo, exigente fama, vel instantia partis fuit inquisitum; nec non cunctae depositiones, seu dicta testium, & nomina eorum (non quidem ante, sed post examen ipsius Rei juxta dicenda infra num. 408.) ut sciens Reus, quid à quovis contra ipsum, aut pro ipso depositum, aut propositum sit, facilius excipere, aut se defendere. Itaque innocentiam ostendere valeat; prout etiam ipsius exceptiones ac defensiones à iudice recipiendae, & audiendae sunt, textu claro c. Qualiter & quando 24. h. t. ibi: Exponenda sunt ei illa Capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi se ipsum: & non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, & à quo sit dictum, appareat, publicanda, nec non exceptiones, & replicationes legitime admittendae, ne per suppressionem nonnumquam infamandi, per exceptionem vel exclusionem deponendi falsum audacia prebeatur.

Advertit tamen Clarus loc. cit. q. 49. nu. 3. Bar. hosi in c. fin. de Haeret. num. 6. & 7. & alii ab eo citati, testium publicationem Reo fieri non debere, si eis exinde grave immineret periculum, arg. cit. c. fin. de Haeret. in 6. Ratio est, quia alias multi testes se subtraherent, aut veritatem edicere timerent cum gravi praerjudicio Reipublicae. Hinc juxta dicenda infra à num. 321. in Processu Regularium nomina testium Reo ordinariè non publicantur: quòd expressè etiam cavetur in nostra praxi Criminali Tit. XX. y. Patronus. §. 4. ibi: Nomina Accusatorum, & testium nullo modo Reo publicanda sunt, nisi ubi, & quando, eorum (Superiorum) iudicio in oppositione alicujus gravis infamatorii criminis justitia periclitaretur. Ceterum eodem loco juri conformiter praecipitur, ut Reus Processus copia ex integro, & gratis assignetur, nisi aliqua brevitatis causa reliquerentur, quae ad defensionem non facerent: ubi ad finem alia adhuc caussa praescribitur, quam ibi vide.

V. Requiritur, ut inquisitio specialis contineat circumstantias delicti, speciem scilicet, locum, & tempus, annum saltem & mensum, quo delictum commissum est; prout supra §. I. num. 8. de Accusatione dictum est, Clarus loc. cit. q. 31. numero 11. allegans Communem, Farinac. Prax. crimin.